

CAP. VII.  
De privilegiis sepulturæ in genere.  
CONSPECTUS.

Privilegia multa sepulcris & funeribus indulta. 1. Funus debitoris ob æs alienum detinere non licet. 2. Ratio. 3. publicè interest, defunctorum cadavera quam citissimè sepeliri. 4. Pœnæ in creditores corpora defunctorum debitorum detinentes, statuta. 5. quæ hodiè que observantur. 6. Ampliationes annectuntur. 7. 8. 9. 10. 11. Impium est, cum defunctorum cadaveribus litigare. 12. Constitutio Bonifaciana, quæ extat in c. 17. d. sentent. excomm. in 6to, culpatur. 13. Exceptiones subjiciuntur. 14. Sepultura diebus festivis non prohibenda. 15. Dissentientes adducuntur. eod. refutantur. 16. observatur hodiernum. 17. Non habenti viam ad sepulcrum vicinus justò pretiò iter præstare tenetur. 18. Iter sepulcrò debitum non utendo non amittitur. 19. Limitatur. 20. ad cœmeterium extruendum vel dilatandum possessor fundum vendere cogi potest. 21. Heres conditioni huic: si reliquias meas in mare abjecerit, non parens, propterea hereditate privandus non est. 22. Testamentum tempore pestis conditum coram paucioribus quam duobus testibus fieri nequit, nisi quis alicui certa legata reliquerit hanc ob causam, ut legatarius post mortem testatoris sui suorumque sepeliendorum curam adhiberet. 23. Nobilis occisum in alienò territoriò tollens & sepeliens, licet Dominus territori cadaver occisi reposcat, restituere tamen & effodere illud non tenetur. 24. In mortuos de reatu inquirere non decet. 25. In causis sepulturarum summarie procedendum. 26. In causis sepulturæ appellatio non admittitur. 27. Sepultura publicè & in publicò locò peragenda. 28. Sepulcrorum Jus non transit in emtorem universæ hereditatis. 29. Licet alicui tanquam indigno hereditas auferatur, jura tamen sepulcrorum penes eum remanent. 30. Funeris causa heres etiam ante aditam hereditatem bona vendere potest, nec propterea hereditatem adisse censetur. 31. Sepulcrum usucapi nequit. 32. Stricta ratio in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet. 33. Plura privilegia sepulturæ quinam tradiderint, remissivè. 34.

- 1 In præcedenti capite privilegiorum, ob sumtus funerum competentium, mentionem fecimus: nunc in genere quædam privilegia sepulcris & funeribus indulta, non quidem omnia, sed notabiliora tantum peculiari hoc capite attingere atque addere lubet.
- 2 Et quidem I. sepulturæ favore constitutum est: ne funus debitoris ob æs alienum detineatur & impediatur. l. ult. C. d. sepulcr. violat. cum Auth. seq. l. 38. ff. d. Relig. Idque creberrimò omni;